

Suburbium
Vulgò Laimgruben.

Suburbium nomine ab argillaceo solo scrobi-
būsque prærupta serie excavatis , ad quas
consitum est , mutuato subsequitur ; remotiori-
bus siquidem annis materia lateribus formandis
inde petebatur : imo & in vetustam aulæ stru-
eturam parte maxima insumptam ferunt , quod
illa , ubi ignibus coqueretur , parem lapidibus
duritiem indueret.

Suburbium , omnium , quæ civitatem circum-
eunt , vetustissimum esse (etsi dirutum crebro &
ruderibus renasci habuerit necesse) vel inde
conjicias , quod Lazius celebre id ævō suo , ma-
gnificisque superbū ædibus commendet . Re-
motiorum adhuc sæculorum testimonium perhi-
bent litteræ ab Urbano V. summo Ecclesiæ An-
tistite ad Rudolphum Austriæ Ducem Anno 1363 ,
datæ : his pium Rudolphi propositum sua con-
firmat auctoritate , potestatēque facit , Cœno-
bium Virginibus Divæ Claræ institutum profes-
sis extruendi , dotandique propè Ecclesiam D.
Theobaldo dicatam , quam suburbii hujus Paræ-
cialem fuisse infrà referemus .

Utriusque tamen ne vestigium hodie supereft ,
locō sæpius post hæc devastato , aut everso peni-
tus ; ut adeò præterquam nomen nil vetustatis
suæ reliquum habeat , structuræque , quibus or-
natur , vetustissimæ Sæculi dimidii ætatem non
superent , ab eo scilicet tempore , quo postre-
mum arma Turcarum , qui ferocissimi tum inter
suburbii hujus ruderā magno numerō castra me-
tati sunt , barbara urbem obsidione presserunt .



A. Laimgrueb 1. Equile Casareum. 2. Fundatio Chaeriana. 3. Templ. et Monaster. PP. Carmelit. 4. Granarium Urbis. 5. Com. de Paffy.
6. PP. Societatis IESU. 7. Domus ecclesiasticarum. Ad WIENN. 8. Bar. Schöller. 9. D. Faconeti. 10. Bar. Glant. 11. Carthusia Mauriac. 12. D. Schmidmayr.
13. Bar. Selb. 14. D. Labroin. 15. Flüglhoff. In SCHOFF. 16. D. Fras. 17. Bar. Lette. 18. D. Zauer. 19. Templ. S. Maria Auxil. et Resident. PP. Cleric.
20. Equile S. Pauli. 21. D. Albrechtsburg. 22. D. Schweizer. In GUMPENDORFF. 23. Com. Königseck. 24. de Waffenbergh. 25. de Hillebrand. 26. de Dankhmar.
27. Moyr. 28. Com. Molart. 29. mola PP. Dominic. 30. D. Gotteschrigg. 31. Templ. Parce. 32. mola Canonie. ad S. Dorotheam. 33. Munzwartheim.

Situs loci , quā urbi ad meridiem obvertitur ;
 solō admodum acclivi , orientale sibi suburbium
 ab Amne *Vienna* nuncupatum despicit . latus occi-
 duum Monte Hospitalensi stipante : tergum vici
 hinc & inde gemini (Schöff & Wind , Mühl vo-
 citant) mediūsque hos inter longius protensus
 à Maria auxiliatrice appellatus obvallat . Cùm
 his , addito insuper Gumpendorff & fundō san-
 Etæ Magdalenaæ peregrino , spatiū longitudine
 mille & centum . quā latissimum quadringinta
 orgias adæquat : quod universim dimensum pe-
 dum quadratorum 2550600 . campum efformat .

Ædes suo in circuitu quadraginta censem , qua-
 rum numerum peregrinum earum vastitate com-
 pensat ; id quod ex civium frequentia metiare ,
 quippe quorum capita recensita sex milium qua-
 dringentorum numerum superant ; quos omnes
 urbs nostra feudatario , ut vocant , jure ab Vice-
 dominatu tributarios obtinet , atque per lectum
 è senioribus suburbii Prætorem moderatur . In-
 signi hæc respublica utitur vetustissimo , Divi
 Theobaldi effigie , quem tutelarem remotissimis
 temporibus sibi delegerat , cujusque honoribus
 sacram ædem Paræciæ dignitate decoratam in-
 colæ construxerant .

Hanc eandem omnino esse Divi Theobaldi Ec-
 clesiā , indubium videtur , quam à Divo Capi-
 strano , constructo pone monasteriō , Ordinis sui
 sociis impetratam Lazius meminit : quæ tamen
 migrantibus in urbem Patribus ne adventanti
 ad urbem obsidēdam barbaro adversus obſeffos
 præfidio esset , à milite nostro A. 1529. solo æqua-
 ta est .

Sanctiorem civibus curam hodie RR. PP. Cleri-
 ci Regulares S. Pauli , ad Divæ Virginis ab au-
 xilio dictæ odæum excubantes , zelō indefesso
 impendunt .

Inter ædes , quibus suburbium ornatur , Eccle-
 sia elegans Virgineo Mariæ sponso dicata cum
 per-

peramplio RR. PP. de Monte Carmelo calceatorum, ut vocant, asceterio primum sibi locum depositit. Dirutis humilioribus aliquot ædibus, quas nominati Patres suo ære paraverant, primus lapis ipso Augustissimo, tum Romanorum Hungariæque Rege, Josepho Cæfare gloriosissimo præsente jacitur, ac ædi utrique è fundamentis erigendæ initium datur.

Tempore non longo ita assurrexere; ut pietati devotionique vacare populo, & viris religiosissimis (quorum quinquagenos suis sub tectis alit) contubernio frui peropportuno liceret. Ædes sacra Thaumaturgam Virginis (Mariæ majoris vocant) iconem in ara principe, quæ marmorea singulari fulgore paucis abhinc annis assurrexit, affluenti populo venerationi proponit. Sacrorum solemnia singulari nitore hac in Ecclesia peraguntur, ad quem augendum cætus geminus Virginis Divæ sub scapularis, ut vocant, insigni unus, alter Virginis ejusdem sanctissimo Sponsi facer, publica in suos tutelares pietate, quot mensibus stata die, & alias saepe congregari solitus plurimum confert.

Altera ædes à pietate pariter celebranda Juventutis tenerioris est domicilium, quod Illustrissimi Mæcenatis sui Joannis Conradi Richthausen Liberi & Nobilis Domini de Chaos, Cameræ Cæsareo-Aulicæ Consiliarii reisque numariæ supremi præfecti munificam pietatem orbi commendat. Pientissimus hic Dominus majori fœnore opes suas se non elocaturum æstimat; quam si eas in egenos, juventutemque præprimis teneram, à qua rite efformata virorum dependet virtus, parentum seu præmaturo fatô orbam, seu egestate destitutam largâ manu profunderet.

Quare vastam in urbe ædem, Civium Xendochio adsitam, in adolescentum virtute & literis, ætati conformibus, informandorum contubernium Anno 1663. erigit, redditibusque annuis

nuis dotat. Annis post hæc tribus , cùm sævæ lues Viennam omnem depopulata ædes funeribus repleret , eadémque in teneram hic degentem juventutem pari crudelitate desæviret ; Nobilis Dominus Adamus de Grundemann , cui supremam demortui Conradi voluntatem exequi demandatum erat , juvenes , quos lues afflaverat , ne consortium cæteris idem malum afferret , à contubernio reliquorum semovendos censuit. Inde ædem in suburbio citis operis extrui fecit , quo ægri deportarentur ; ut hac ratione iis aura salubriore consuleret , & in urbe persistentibus de incolumitate prospiceret.

Subinde anno Sæculi ejusdem nonagesimo tertio ægris valentes , viginti tres numerò , adolescentes egēni sunt suffici. Ubi verò vigili solertique cura Dominorum Præsidum , quorum piam Conradi mentem exequi intererat , æs eð excrevisset ; ut numerosæ magis juventuti alieni dæ par esset : Perillustris Dominus Carolus de Moser ædem hanc suburbanam uno fenestrarum ordine altius attolli , ampliusque dilatari jussit ; ut hodie amplissimo circuitu ab domo , cui cancer rubeus insigne est , ad collis Hospitalensis Holzsezerianam usque procurrat , ac centum quinque supra quadraginta adolescentibus magnificum plaznè præbeat hospitium.

Adolescentes , quos aut nobiles , aut honesto certè loco , legitimoque thoro natos esse oportet , lege à Conrado latâ , expleto minimum septimo ætatis anno adleguntur ; decimum octavum ubi attigerint , dimittuntur ; interea temporis non victus modò , sed & vestitus , qui coloris cærulei patrio more adaptatus , necessariaque cætera liberali manu ministrantur : legendi , scribendi , arithmeticæque elementis à pædotribis largo ad id stipendio conductis imbuuntur. Scientias insuper seu architectonicam , seu graphidem , seu ad quamcunque genus quemque fert ,

fert , condiscere cuique fas est , Magistris artium peritis ad id deputatis . à quibus adeò felici solertia instituuntur , ut quamplurimos sit reperire , qui Chaoshiani quondam alumni , utilissimam modò reipublicæ operam impendunt.

Idque non immeritò teneræ in Numen pietati referunt in acceptis , ad quam non minùs quàm ad artes condiscendas vigili eorum , qui præfunt , cura manuducuntur . Quippe statis quotidie tum matutinis tuin vespertinis horis ad preces unà peragendas colliguntur , fidei rudimentis , piisque ad vitam Christiano ritu traducendam legibus informantur , è quibus eam morum modestiam imbibunt ; ut per vicos incedentes ab educationis solutionis adolescentibus non sola veste dignoscas.

Ad profanas suburbii ædes brevi narratione percurrentas devolvimur , quarum ferè nulla non singulari magnificentia superbit , duobus tribusve fenestrarum ordinibus assurgentis propè omnes reperies : molis vastioris , quibus horti insuper tain ab amœno virore , pomorumque fœcunditate , quàm arte decori adjacent , sex & vicenæ numerantur.

Molis vastissimæ domus Vicedominatus potestate emancipata (Frey-Haus vocant) è piano in collem , quo ascensus ad suburbium , attollitur : Magistratus urbanus fundo sibi emptione vendicato , granarium terno fornicum ordine altum , centum & amplius milium modiorum capax extruxit ; ut cum ad subiectum ædi campum , quod venum adfertur triticum , convehiri oporteat , commoda tutaque statione recipi , aut necessitate quacunque urgente comportari annona urbis usibus possit . Latus granarii geminum ædes vastæ in sexagenæ distributæ domicilia stitant , è quibus complura chartaruui lusoriarum artifices , qui omnes ædem hanc Cæsareo de-

creto incolere recens iussi sunt , suis cum familiis inhabitant.

Parte ædi dictæ aduersa equile Cæsareum , tum à magnificentia , tum ab amplitudine memoriz dignissimum , frontem suburbii , A. 1723. ad hunc statum perfectum , occupat : centum & duabus supra nonaginta orgiis protenditur , & duplii fennestrarum serie in altum attollitur : infera parte equos aulæ obsequiis destinatos , quos antè per civium domos distribui necesse erat , suas per stationes ordinatos longa serie continet : superior mediæ altiorisque sortis Cæsarei equilis curatoribus præfectisque domicilio servit ; ut eorum præsentia inferiorum Curatorum vigilancia augeatur .

Demum , quæ in plano ad occidentale suburbium alterum terminatur , excubiis militaribus , de quibus alias facta mentio , percommoda erat est recens statio ; quippe domicilio officialis bellici commoditatibus peropportuno instructa , equorum insuper stationi militumque quieti aptum præbet receptum . Atque huc ea potissimum de causa locata est ; ut omnem viciniam , quæ ob opportuna undique latibula prædonibus nocturnis scatebat plurimum , suis excubiis promptius tutaretur , commeantibusque sub vesperum civibus securum ex urbe transitum redderet .

SUBURBIUM AD AMNEM VIENNAM.

AB suburbio , cui tellus nomen indidit , ad alterum , quod ab undis appellationem traxit , digredimur . Vienna amnis , aquas variis & rivulis in silva Viennensi collectas uno eodemque alveo , auctus subinde rivis ditioribus , prope urbis mœnia deducit , atque Rubram turrim inter & Stubensem urbis portam in Danubium exonerat .

Potissimum anni parte modicis aquis defluit adeo; ut vadum undique, & arentem alveum locis plurimis reperias: autumnalibus tamen pluviosis immo & nimbis ita saepe intumescit; ut ædes et si longius, soloque eminentiori consitas convellat, arbores prægrandes fluctuum impetu evulsas secum avehat; ut trabibus munire ripas, stratisque è lapide aggeribus aquarum impetum coercere fuerit necesse. Ab hoc proinde amne, qui medium præterlabitur, suburbium nomen sumpsit; ut adeo eodem appellationis suæ fonte glorietur, ex quo urbs ipsa Vindobonæ quondam cognomen hausit.

Si etenim Vindobonæ altius rimari etymologiam libuerit; à vero minime abludere videbitur Lambecii sensus, qui eam ex *Vindone* hoc amne nunc vulgo *Wienn*, & voce *Bahn*, quod viam sonat, coaluisse existimat: scilicet caput isthic esse militaris viæ, quæ à *Vindone* amne, & Legionis decimæ stativis in Italiam duxit. Vel, quod aliis placuit, vox hæc nata ex *Vindone* amne, & *Wohn*; veluti diceres habitatione ad *Vindonem*. De quo tamen litigare nobis nequaquam propositum: vetera aliis disceptanda relinquimus; dimidium suburbiorum sæculum nobis vicinum enarrare constitutum est.

Ab hoc temporis spatio natales ultimos id suburbium computat, quo nempe è ruderibus denuo resurgere, atque in locum tribus incolarum millibus frequentatum excrescere contigit. Ædes quadraginta una ordinata serie ripam dicti amnis occupant, quas inter complures amplitudine sua etiam urbibus ornamento non vulgari forent: celebriores videre est Baronis Schölier, & Selb: diversorum itidem viginti familiis præbet domicilium, spatiū advenis insuper hospitibus per opportunum reservat.

Alia ædes finem propè suburbii obsidet, quod sæcum equilis Cæsarei usibus destinatum convehitur,

abitur , in cuius aditu bilance appensa , qua cur-
rus fœno oneratus , etsi sexaginta centeniorum
pondus superet , unius hominis ope attolli , at-
que ad trutinam examinari potest . Fano sacrato
destituitur : hinc ab æde Virginis auxiliatricis
RR. PP. Clericorum S. Pauli pastoralem animarum
curam accersunt . Jure civili Magistratui urbano
paret , atque , qui causis minoribus præsit , quem-
piam ex civibus modò suis , modò ex suprà re-
lato suburbio sibi deligunt Prætorem .

Wind - Mühl.

VIcus est unicus : triginta ædibus incolas mil-
le ducentos , & viginti complectitur : ean-
dem cum prioribus potestatem seu Ecclesiasticam
seu civilem veneratur : quia tamen feudi nomi-
ne à Vicedominatu in Magistratum urbanum
translatus est ; distincto nomine annotare placuit .

SANCTÆ MARIÆ AUXI- LIATRICIS in Schöff.

IN suburbium hic progredimur duplici insigni-
tum nomine *Sanctæ Mariæ auxiliatricis* , in Schöff/
hoc pervetusto , recentiori altero : posteriori et-
enim jam inde ab hominum memoria nunc
cupari solitus , prioris accessione quinquaginta an-
nis abhinc , dum Divinæ Matris ab auxilio di-
æ cultus initium sumeret , apud incolas deco-
ratus est .

Unde verò appellationis Schöff etymologia pe-
tenda , non facile assequi licet : ferunt tamen
nonnulli : nautas olim , cum Danubius alveum
longè ab hoc , quo hodie defluit , diversum per-
laberetur , urbemque propriùs allueret , suam hic
ab itineribus feriantes stationem habuisse : atque
inde

inde esse volunt , quod haud longe ab eorum opinione , suburbium suo in scuto navim etiamnum præferat.

Alterum vetustatis argumentum facile consequitur : id ipsum suburbium primis suburbanis propè coævum existisse , etsi communem sæpe cladem subire , atque è ruderibus resurgere oportuerit. Regio , quam à postremis ruinis excitatum occupat , peramæna est ; à fronte suburbio , ab argilla dicto , cingitur ; latus boreale , Udalricianum suburbium , adversum Viennense , & Gumpendorff ob sidet ; tergum idem limes , qui suburbia remotiora , obvallat.

Ædes centum & vicinas serie ordinata structas ostentat , quas plateæ octo latis spatiis distinguunt. Incolarum frequentia ducentis quadraginta tribus capitibus supra duodecies mille accrevit. Civili potestate Metropolitanæ Divi Stephani Ecclesiæ Capitulum (ut vocant) incolis dominatur , à quo civium uni Judiciaria in cæteros authoritas confertur , cui dissidentium causas cognoscere , lites dirimere , atque legum custodiæ attendere munus est.

Sanctiora in cives jura Sancti Michaëlis Paræciana in urbe Ecclesia exercet , quæ indefessam animarum curam per eosdem , quos in urbe , RR. PP. Clericos Regulares sancti Pauli , incolis impendit.

Ædem non admodum vastam (Residentiam vocant) prope Virginis auxiliatrixis odæum dicti Patres incolunt , è qua non per dictum suburbium modò , sed & vicina reliqua Wind - Mühl / Wienn / Laimgruben (nam eò usque Paræciæ jura protenduntur) ad curanda salutis subsidia procurrunt , animásque magno non modò decumbentium fructu , sed & incolarum omnium solatio pascunt.

Sacræ ædis Paræcianæ magnificentia , si uspiam , hic certè digna est celebrari ; præterquam enim ,

quod

quod ad omnem Architectonicæ amissim aforis ornata, vel intuentibus sacram quandam latentis majestatis venerationem injiciat, splendor insuper altarum, hæcque inter aræ principis, decora non minus, quam ad pietatem ciendam compo-sita majestate ex accurrentium animis, in Marianam iconem Thaumaturgam, Divosque cæte-ros devotis, affectus extorquet teneriores.

Hic operæ pretium nos facturos speramus, si brevi ortum Thaumaturgi hujus Templi, ejusque progressus recensuerimus. Spatium omne, quod Ecclesiæ structura cum cæmeterio occupat (vinea autè) à Collegio RR. PP. Clericorum regularium S. Pauli ad S. Michaëlis, quod loco condendis defunctorum corporibus destituerentur, persolu-to preciō comparatum est, atque sacro Ecclesiæ ritu expiatum.

Ut verò populi pietas ad effundendas pro de-functorum refrigerio preces excitaretur; Anno 1660. facellum perexiguum erexerant, Divinæque Matris Pusionem inter mutuos amplexus tenen-tis, effigiem (illius ectypon, quæ apud Passavi-enses clara miraculis in monte Mariano sub *Mariæ auxiliatrixis* nomine veneratione maxima, pieta-téque colitur) aræ imposuerant.

Accidit, ut in commeantium animis suavissi-mus iconis obtutus in Matrem Divinam exci-taret fiduciā, qua complura è cœlo beneficia necessitatibus suis obtainere meriti, latentem ha-ctenus gratiarum sedem in vulgus sparsere: inde & angustam hactenus ædem grata clientum pie-tas promovit ampliorem, anathematibúsque appensis, atque aliis Divinæ Matri oblatis mune-ribus memorem accepti beneficii animum testa-ta est.

Anno 1683. cultūs Mariani fervorem arma Tur-cica urbem obsidentia tantisper cohibusse, non tamen extinxere penitus; quod fortasse accidis-set, nî pia Mariani Clientis audacia, plurimo-

tum solatio , salutique , ab hostium barbarorum
sævitiâ iconem servâset.

Sacelli ædituus Erhardus Lampel pietate in ico-
nem Marianam motus , hostili agmine omne in
latè viciniam inundante , per medios enses , &
mortis pericula penetrat , refixamque ab ara effi-
giem velocissimo cursu ad Scotensem urbis por-
tam appropans secum defert ; ubi re intellecta
in urbem admissus , suprà dictis RR. PP. Imag-
inem tradidit.

Hi illam , dum urbs ab hoste obsidebatur , sua
in Ecclesia populi pietati venerandam proposu-
ere , tanta accurrentium frequentiâ , & devotione ;
ut æs pia clientum devotorum munificentia ob-
latum , ædi ampliori extruendæ sufficeret : ad
quam dein Anno 1689. ducto ordine supplican-
tium frequentissimo , ac ipso Virgini devotissimo
Principe Paulo Esterhazy comitante , qui aram
Ecclesiæ Principem magnifico apparatu extrui
jusserat , Icon Thaumatura deportata est . Id
suburbii incolis tantum attulit solatii , ubi vi-
derent , se Matris Divinissimæ reditu beari ; ut
ære collato , accedente insuper larga aliorum pie-
tate , structura Ecclesiæ universa eum , quem ho-
die ostentat , ornatum consequeretur.

Ædes hæc sacra non à Viennensibus modò ,
qui magna indies frequentiâ ad gratiarum Thro-
num confluunt , sed peregrè etiam adductis sup-
plicantium ordinibus Matris opitularis dextra ce-
lebratur.

Clientum sacram ædem frequentantium nume-
rum magnum , vel ex calculo , sacrum epulum
annô proximè lapso accendentium , curatè inito ,
arguere est : quippe qui nonaginta septem millia ,
sexcentos , octuaginta duos æquat ; in numerum
hunc iis nequaquam revocatis , ad quos lecto
ægritudine affixos , duorum millium numerum
superantes , Eucharisticum Numen delatum est.
Huic gratiarum Matri universum suburbium in
acceptis

acceptis refert , quòd ab hominum memoria ab nullis ignium cladibus , nullo graffantis luis malo , damnum aut jacturam perpessum sit , à quo suam in ditionem opitulatricis DEI Matris iconem recepit.

Colossi seu Triadi Sanctissimæ , seu Virgini Di-
væ sacrati quinque , populi pietatem viatoribus
commendant , quorum trium meminisse operæ
premium erit. Unus , ob colorem atrum , quem
cœli injuriæ lapidi induxerant , Niger populo au-
dit , Anno 1694. liberalitate Georgii Sigismundi
Hann tunc Prætoris , & Georgii Dein erectus in
gratitudinis monumentum : quod Anno 1679.
lue sæva Viennam depascente , atque tum pro-
xime hoste barbaro urbem aut obsidente , aut &
vicinia minitante , exequi non licebat voventibus.

Alter pro templi foribus , singulare scalpri artifi-
cis opus , attollitur. Superne Divinissimæ Triadis
simulacrum columnæ lapideæ insistit ; basim san-
ctorum Icones saxo excisæ circumfistunt : epi-
graphe incisa marmori Latio vernaculóque an-
num , Divos , authores & causam structuræ lo-
quitur , nos Latinum brevitatis causa annotamus.

HONORI

SANCTISSIMÆ TRIADIS PATRIS , CHRISTI , ET
SPIRITVS.

MARIÆ

VIRGINEÆ SINE LABE OTIINALI DEIPARÆ
CONSTANTER

FORTITER PROTEGENTI.

DIVIS

SEBASTIANO , ROCCHO , CAROLO , ROSALIA , FILII
IN PESTIFERA

LVE PATRONIS ERIGEBANT VENERABILIS
ARCHICAPITVLI VIENNENSIS SVBDITI.

SEVERINO HVEBER ANATHEMA ISTHO C PERENNIS
GRATITVDINIS
CAVSA.

Tertius, scalpri elegantiâ non multò inferior , amplæ plateæ medium , quæ, quod aditum templi respiciat , à templo dicitur , ornat ; hunc elegantiori , quem hodie præfert , forma suburbii incolæ donârunt , Intemerataeque Virginis honoribus sacrârunt . Subjecta inscriptio ita habet :

HERR FERDINAND RATZ

HATT

DIESE SAULEN ERBAUET ANNO
1668.

VON DEM ERB-FEIND RUINIRET WORDEN 1699.

IST SIE

VON HEERN OTT WIDER VAN NEÜEN
ERBAUET WORDEN

1713.

Lubet hic & quartum adjicere , qui dolorosæ Matri vulgari opere extructus , viæ regiæ lateri insitit , cum hac saxo incisa epigraphe :

Der Allerhelligsten Dreyfaltigkeit
Wie auch der schmerkhaften Mutter Gottes
M A R I Ä.

Hab ich Joseph Hößler
Bürger und Kaiserlicher Hof-Böck
in Wienn

Und Maria Sabina meine Ehe-Wirthin
Diese schmerkhafte Bildnuss aufzusezen lassen.
Dem allerhöchsten Gott zu einer schuldigsten
Danck-sagung.

Dierweil

Dienveil er uns in dem 1683. Jahr
von den Türcken
Gewalt.

So gnädiglich erlediget hat. 1686.

Renoviret worden.

1713.

A Palatiorum fastu nullum sibi adsciscit ornatum , civium ædibus contentum hoc suburbium : hortis tamen est frequens , quos à sola fæcunditate laudatos denos supra centum numerat.

S. MAGDALENÆ.

Exigua terræ portio vicenis ædibus , mille centum duodecim incolarum frequentiâ refertis locuples , editam , quæ post suburbii Mariæ auxiliatrixis limites attollitur , amnis Viennæ ripam obtinet. Hæc vicinorum potestate immunis suo ab Judice gubernatur : à templo , quod propè Divi Stephani Basilicam , sanctæ Magdalena honori bus sacrum est , appellationem sortitur suam : etsi ascendentes per collem ædes , quarum altera alteri superimposita intuentibus ex adversa ripa apparet , glirium urbculæ (Raßen - Städl) agnomen priore notius apud vulgus pepererint. Dicti sa celli sacrorum Præsidi , qui è Reverendissimo Ecclesiæ Metropolitanæ clero assumitur , incolæ , Beneficii ecclesiastici nomine , annum tributum pendunt.

GUMPENDORFF.

LAtioribus diffunditur limitibus , & supra dicti amnis ripam ad suburbiorum valla protenditur . Gumpendorff appellatio loco est , quæ unde illi adhæserit , non reperio ; vetustissimum tamen id ex suburbis esse , seu Lazii veteris rerum Vien-

mensium scriptoris authoritas , seu signata chara-
ctere Hebræo monumenta , quæ ibidem è terra
efossa suo in opere laudatus author annotavit ,
idem faciunt . Unum ex iis hic apposuisse sufficiat.

מִזְרָכֵי מַיּוֹגֶן גָּבָור הַגָּדוֹל בָּשָׁנָה מִבְּרִיאַת עַולְם
בָּא קָתָם

*Mordachi de genere Gigantum vir fortis , magnus
(scilicet mortuus vel sepultus est) Anno à creatio-
ne mundi bis millesimo , quingentesimo , & sexage-
simo.*

Ex quibus præfatus Author conjicit , Hebræos
hic olim stationem suam tenuisse . Nunc verò à
solis Christi cultoribus habitatur , qui mille supra
septingentos & quinquaginta , ædes centenis plu-
res incolunt .

Non omnes eidem parent Domino : Comiti à
Molard pars potior tributa pendit : alii Scoten-
sium Cœnobio . Patribus Dominicanis alii , non
nulli demum Patribus Augustinianis extra urbem
degentibus subsunt . Plateæ septem Dominium
partiuntur .

Ædes sacra non admodum vasta civium pietati
extructa patet . Hæc Divo Ægidio dicata Paræciæ
jura , quibus suos Scotensium Cœnobium præfi-
cit , in ædes omnes ostinet .

Palatia non à structurarum modò magnificentia
commendata , sed & hortorum deliciis , quibus
arborum florūmque peregrinitas pretium addit ,
instructa , suos inter ornatus refert . Quæ inter
Comitis de Molard , Comitis ab Königsegg , Duc.
de Arnberg , Domini de Hilebrand æstiva caput
altius cæteris eferunt , atque postremi præcipue à
penicilli artificiis singularem præ aliis celebri-
tem sibi conciliat . Hæc horti minores alii ab po-
morum amœna fœcunditate laudati sequuntur .

Id etiam suburbio percommodum accidit , quod
amnis hanc per ditionem medius decuirens , com-
plurium

plurium molarum farinæ parandæ usibus subserviat. Quarum una Comitis de Molard, aliæ Canonicorum Regularium ad Sanctam Dorotheam, Ecclesiæ Paræcialis, ac demum Patrum Dominicanorum dominio subsunt: in qua postrema mœsta Turcicæ crudelitatis vestigia videre est, vincula è ferro gravia, quibus barbaro urbem obsidione cingente Christiani complures à sævo hoste onerati hanc in moletrinam velut in carcerem compingebantur, subinde in diram servitutem abducendi; quos tamen, barbaro fugam præproperam arripere coacto, miles noster undique intra latibula vestigans, inter squalores agnitos vinculis exsolvit, libertatique restituit. Cujus memoria, ut perennis esset, catenæ parietibus affixæ sunt, quæ invisentibus ædem etiamnum exhibentur.

De Contubernio Militum ad Laimgrub recens erecto.

UT circumductis stant propugnacula muris,
Urbi præsidium, Civibus apta salus:
Multus & imposita miles dominatur ab arce,
Hostiles prohibens ære tonante minas:
Sic domus hæc, vigiles habitant quam Martis alumni,
In prædatrices exerit arma manus.
Et fugat Autolici secura ex urbe nepotes,
Ut capiat tutum nocte viator iter.
Mercurii jam turba time, noctisque propago,
Tot fortis videoas cùm vigilare manus.